




EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

X

Qd. 24.

Qd. 24.



N^o 7738



CLASSICVM
PACIFERVM
DANIÆ,

QVO

Octo Rationes,

CVR

SAC. CÆS. MAIESTATI
CVM CHRISTIANO QVARTO
REGE DANIÆ, &c. EIVSVE FILIIS,
NON NISI ARMIS PAX FERIENDA.

CHRISTIANO DE PVRA, ILLV-
STRISSIMO HOLSATIÆ DVCI
à consiliis suggeruntur.

Nazianzenus in Apol:

*Melior est talis pugna, quæ Deo proximum facit, quam pax illa,
quæ separat à Deo.*

———— bello, pax ea deterior.

LVBECÆ.

Anno restitutæ Salutis,

QVO

Holsatia, Dithmarsia, s Les Vigla, & IVtia, s Vperant V. 1627

Cum permissu Superiorum.

Pfalm. 93.

Exaltare, qui iudicas terram, redde retri-
butionem superbis.

Oplofft dig du jördens Dommere/giiff de
hoffmodige effter deris gierninger.

FERDINANDVS.

Anagramma.

DANVS SXZDEN

sc. cum Deo & proximo, populus habebit.

A. E. I. O. V.



OCTO RATIONES,
CVR

SAC. CÆS. MAIEST^I:
CVM CHRISTIANO
QVARTO, REGE DANIAE, &c.
eiusuè Filiis, non nisi armis, pax
ferienda.

Prima.

VIA REX Daniæ enormiter deliquit, Im-
peratorem absque vlla prorsus causa prouo-
cavit, vel potius, per crines inuitissimum tra-
xit; vnde sumptus & damna, quæ omnibus
suis diuitiis & ditionibus, refarcire nequa-
quam valet, nec non pericula extrema Impe-
ratori toti que Imperio.

Secunda.

QVia ipsi quantumuis iuranti, nunquam haberi fides
potest.

Tertia.

QVia licet ditiones ipsi ex gratia coarctarentur: ni-
hilominus non minus quam hætenus, Imperio,
A 2 Regi

4

Regi Hispaniarum, Regi Poloniae, aliisque plurimorum no-
cebit.

Quarta.

QVia hæresis, quâ infectissima est Dania, nunquam
quiescet; vnde, hâc occasione neglectâ, extrema pe-
ricula, & nouissima peiora prioribus, certissimè timenda
forent.

Quinta.

QVia Deus est, qui pugnat, quod patet ex toto decursu
belli, Ecclesiamque hoc modo restitutam, exaltatam, &
oues abductas ad ouile reuocatas vult.

Sexta.

QVia Regna, Dania & Norwegia, nec non magna pars
Holsatiæ, Dithmarsia, & Ducatus Slesuicensis, iure ad
Augustissimam Domum Austriacam spectant: moder-
nus vero, Parens, Auus, & Proauus, meri vsurpatores fue-
runt.

Septima.

TAm nefandum scelus, quod Deum, Ecclesiam, Regem,
Clerum, & populum, cultu, bonis, Regno, honore, & vi-
ta, mediisque salutis spoliare non dubitauit, tenetur Im-
perator, vbi enim aliàs iustitia in terris? punire.

Octaua.

HOc modo, & non alio, factio Palatinica dissoluetur,
Hol-

Holländi, & Sueci rebelles, ad mentem & cor vtredeant, induci, & quidem facili negotio, poterunt.

Hæc ordine & breuiter discutientur.



Ad primam.

REgi Danorum, à multis annis nihil antiquius fuit, quàm Sacræ Domui Austriacæ clàm & palàm nocere, Catholicam Religionem extirpare, Imperium turbare, vicinos Principes, Comites & Ciuitates Imperij infestare, Regni sui & ditionum fines, quouis modo dilatare, Episcopatus inferioris Saxonix & Westphaliæ occupare, & quod caput est, ad summum fastigium Imperialis dignitatis aspirare.

*Dominus autē irri-
debit eum
quoniam
prospicit,
quod ve-
niet dies
eius.*

Hæc licet orbi nota sint, & probatione non egeant; obiter tamen & summatim perstringere, abs re non erit.

In Angliam ipsemet Rex Daniæ, semel atq; iterum, anno nimirum 1606. & 1614. profectus, ibique aliquandiu, apud sororium commoratus est.

Errant, qui eum studiorum gratia, artium liberalium non immeritò Magistrum Iacobum, adisse putant. Rex est, regnare, non disputare cupit, maluit quoque semper esse lanista, quam sophista: quamuis nec in literis adeo ieiunus sit, quin etiam aliquem titulum mereatur, non quidem Magister, sed Baccholaureus dici posset. Est enim magnus heluo vix autem tot librorum, quot Rex Iacobus, qui etiam conceptus suos typis diuulgari curauit, quos hic Secretario, non Bibliothecario, concedere solet. Multo minùs

A 3

Angliam,

Angliam, puriore fide imbuendus, petiit: Rediit quippe idem Christianus, qui prior, non purior. Nec memoriae traditum est, Reges Daniæ deuotionis ergò, vnquam in Angliam, sed in Italiam, & terram sanctam sæpius, peregrinationem instituisse. Olim quidem Reges Daniæ, in Angliam iter susceperunt, sed qui eam subiugarunt. Nec deerant, qui suspicarentur, quòd

————— *nec hospes ab hospite tutus.*

foret, Christianusque consultius iudicasset,

*Pugnandum argento (nam argentea lancea vincit
Omnia)*

quàm milite. Mouit sanè non nihil leuitatem Anglorum, tum grauitate personæ, tum pondere rosarum nobilium: adeò vt ipsi publicè acclamarint, *Blessed be the country/
Which hath such a King. Felix Regnum, cui præest talis Rex.* Verum non effecit, quod Prædecessores armis & auro, quando

Et metus, & fului, mentes spes perculit, auri.

Demum ridendi sunt, qui eum non animæ quidem, sed animi, & visendi sororij causa, in Angliam se contulisse autumant; non lusum, sed vsum, is quærit, non futilia, sed vtilia tractat. Venationem Anglorum risit, quibus ceruum velociorem in sequentibus, equi misertus, substitit: asserens, se equum nolle perdere, vt ceruum lucretur. Sororium quoque antea vidit in Dania, vbi salutanti dextramque porrigenti primum verbum dixisse fertur: *Quam molles habes manus.*

Falluntur itaque, qui iter hoc, deuotionis, recreationis, aut visitationis fuisse opinantur; seria sanè, & quidem secretissima, etiam cum intimis haudquaquam communi-
canda,

canda, negotia habebat. Quotus enim quisq; Rex, Regni sui commoditatibus posthabitis, alium Regem benignè visitatum, itineri, incommodi & periculi pleno, se committens, non

Occultum vult esse scelus, testemq; veretur?

Sed quid me diffundo? Secreta, quæ in Anglia cum Rege, & post in arce Segeberg Holsatiæ, à primo vsque ad sextum Martij, Anni 1621. cum Friderico, propter quem, licet frustra.

Perfurit, & totum miscet Mars impius orbem,

aliisque principibus Imperij clausis foribus tractavit, euentus prodidit, cuniculis, non arietibus, mœnia inuictę Domus Austriacę subruenda putabat. Fridericum quidem ob coronæ Bohemię acceptationem coram externis, ibi acrius increpuit, sed solum quod eam non defendisset, stomachabatur. Hoc libera vina & frons corrugata nos docuerunt. vbi eum inglorium ex Bohemia aduentare primum vidit, sibi temperare non potuit, quin subringeretur proloquens: *hic citius perderet, quam acquireret regnum.*

Non semel exercitum, quem se tùm contra Suecum, tùm pro defensione ditionum suarum contra Tillium, à quo tamen nunquam offensus fuerat, conscripsisse prætexebat, hostibus Domus Austriacę tradidit: quo longe plus quàm apertus aliquis hostis nocuit.

Quod quoq; mœnia inuictissimæ domus Dei Ecclesię, quã ipsemet Christus super petram ædificauit, & *portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, suffodere voluerit, in Altenaw penes Hamburgum, vt sexcenta alia silentio inuoluam, egregio, & tali Christiano digno facinore, testatum fecit. ibi à Comite in Scho wenburg, licentia exercitij Catholicę Religionis

gionis permittebatur : Rex autem Daniæ nihil prorsus iuris in locum illum habens, ex mero innato odio in auitam fidem, milites suos illuc clam misit, qui sub Sacris, magno impetu, ceu furia infernales, irruentes, omnes qui nõ fugã salutem quæsiuere, trucidârunt, vel certè vulneribus crudeliter affecerunt, totamq; domum solo æquarunt, clamantes hæretico, non heroico actu perpetrato ; *Viuat Rex Daniæ. O tempora, ò mores.*

*Compara-
tio Chri-
stiani Pri-
mi, &
Christia-
ni Quar-
ti.*

Christianus Primus, pius & mansuetus Princeps, quem Deus quoque propterea, ad tantum culmen honorum & bonorum euexit, vt ei post Deum, familia Comitum Holstatiæ & Oldenburg, postea respectiuè Ducum, sceptrum Regia accepta ferre possit, tantæ fuit deuotionis, tantoq; Sanctam Romanam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, complexus est amore, vt ex regno, terra, & cognatione sua, & de domo patris sui, ceu alter Abraham egressus, in terram, quam ipsi monstrauit Deus, Romam, inquam, ad limina Apostolorum, anno 1474. se contulerit, vbi de manu Summi Pontificis Sixti Quarti, à quo in palatio Apostolico 21. diebus, summis honoribus habitus fuit, Sacram Synaxin percepit, modernus verò Christianus tantæ impietatis est, tantoque odio Romanam Ecclesiam, & Catholicam Religionem prosequitur, vt ex Regno, patria, & Domo sua egressus, pro deliciis habuerit,

Delere hanc veram, cum pietate fidem.

Ille Imperatorem Fridericum, tanquam bonus vicinus & amicus visitauit, à quo etiam honorificè exceptus, & Dithmarsia feudo, aliisque beneficiis Imperialibus, donatus fuit : hic totus ira & furore percitus, Imperatorem Ferdinandum, & Imperium absque vlla causa, hostiliter & fraudulenter aggress-

aggressus est, iisdem aliisque omnibus priuandus: nec immerito. nam *va impio in malum, retributio manuum eius fiet ei.*

Quomodo præterea dictum Comitem à Schowenburg, Archiepiscopum, & Archiepiscopatum Bremensem, Episcopatus, Osnabrucensem, Verdensensem, Padebornensem, Halberstadiensem, & alios, nec non vicinas Ciuitates Imperij diuexauerit; noua ciuitate Glückstatt ad ripam Albis (pro cuius fundamentis iaciendis, nocturno tempore, luna facem præbente, adhibito Martino de Meden, ingenioso & inquieto homine, Albim nauibus lustrauit) & occupatione Willefiet ad Archiepiscopatum Bremensem spectantis, commercia libera impediuerit, telonij exactionem & totius Albis dominium, in magnum Principum & Ciuitatum Imperialium præiudicium, imò excidium, intenderit; Mindam ob commodissimum passum, animosque plurimorum, haud ignarus, quod

— — *mortalia pectora cogat,
Auri sacra fames,*

catenis aureis, & rosis nobilibus, etiam per Hebræum quendam (qui tandem, acceptis aliquot mille florenis, pretio Canonatus Padebornensis, Canonico cuidam numerandis, eum egregie delusit) sollicitauerit; imò non paucos, etiam Principes & Ciuitates Imperiales in suam sententiam pellexerit, sibique intimè deuinxerit, prætendens defensionem religionis, cum tamen de regione ei solùm negotium fuerit: ex pallio enim religionis, purpuram sibi texere, & de pedo pastoralis sceptrum facere voluit; quales item dissensiones inter Principes, etiam sanguinis vinculo coniunctos disseminauerit; aliasque quamplurimas pestiferas eius machinationes recensere, ne utiquam sufficeret dies.

B

Hisce

Hisce & mille aliis clandestinis molitionibus non contentus, Generalatum vnionis Principum protestantium, quò apertius sãuire posset, ambiebat. dum autem hisce cogitationibus se mirum in modum recrearet, præter spem, vnionem dissolutam intellexit, vnde adeò excaudit, vt multis conuitiis, protestantes affecerit, ipsos leues, pusillanimes, ac fœdifragos vocitans. Hâc spe frustratus, militem quem denuo colligerat, cum Halberstadiensi, ex sorore nepote, cuius partes antea tacitè fouerat, coniungere, apertamq; hostilitatem, videns Cæsarem aliis turbis implicitum, profiteri in animo habebat: quod sæpius, maximè inter pocula, etiam denudato ense, mensæque illiso, minitatus est, interim Imperatori beneuolè ac amicè scribens. *Politici enim sæpius loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Sed ecce inexpectatus casus; nuntiatum est ei in Wolfenbütel, fustum & cæsum exercitum Halberstadiensis, vnde ad eò commotus fuit, vt nullo modo, licet dissimulare perbel- lè cautus homo sciat, indignationem celare potuerit, quin potius eam multis signis & verbis exeruit.

Tandem ne occasio, in aqua turbida piscandi, penitus elaberetur, partim authoritate suâ, partim persuasionibus, partim muneribus, & pollicitationibus, partim etiam minis, supremum Capitaneatum inferioris Saxonie, sine cuius æ- gritudine aut morte, ipsi nec sanitas, nec vita, extorsit. Hâc occasione, inter alia, in magnum præiudicium Ducis Lune- burgensis, veri alioquin hæredis, totum Ducatum Brunsvi- censem (vnde ad miserandam paupertatem, proprium ex sorore nepotem redegit) occupauit, eum æternum se reten- turum iactitans.

*Homo
propanit,
Deus au-
tem dispo-
nit.*

Quid interea cladis aliis Principibus, & Ciuitatibus Im- perij

perij intulerit, quomodo igni & ferro Prouincias maximè
eorum, qui tam nefariæ & impiæ factioni subscribere renue-
runt, deuaftauerit, adeò vt

Vbique vastitas, fames,

& dira mortis imago,

— *& raris habitata mapalia tectis,*

omniumque suspiria & imprecationes; *Quia turbasti nos,*
exturbet te Dominus in die hac. Et vt vno verbo omnia com-
prehendam, in quæ extrema pericula Sacram Cæsaream
Maieftatem, inclytam Domum Austriacam, totumque Im-
perium, imò Christianitatem hic Christianus, Turcam &
Vasallum eius, aliosque hostes Imperij, non proprios sub-
ditos suæ Maieftatis in Bohemia, Silesia, & Austria, maximè
superiori, concitando, vbique classicum canendo, & nihil
prorsus hostile intermittendo, qui suspiriis assequi, nedum
verbis exprimere poterit?

In quem finem omnia fecerit, & quid in votis habuerit,
ex titulis soli Cæsareæ Maieftati competentibus, quos sibi
arrogauit; quidque sceptrum ferreum Rosæ Crucis, tam
benignè acceptatum & liberaliter remuneratum, parturire
debuerit, haud obscure conicere licet. Voluit (quod quo-
que infallibiliter anno 1624. futurum prædixit prædicans
Lutheranus & hariolus, spiritu qui erat in ore Prophetarum
Achab, afflatus, Paulus Nagel in Calendario huic Christiano
Quarto inscripto)

*Parturi-
unt mon-
tes, nasce-
tur ridi-
culus
mus.*

Summo stare loco:

propterea necesse fuit,

— *mutarier infima summis.*

Tam pertinacem hostem cum Religionis & omnis æ-
quitatis tum patriæ & omnium bonorum, quem nec admo-

B 2

nitio-

nitiones Dei, qui equum & ascensorem deiecit, volens ei insurrare:

— dabis improbe pœnas,

nec benignæ dehortationes Cæsaris & Regis Catholici, ei syncerè inculcantes: *Agnosce ô Christiane dignitatem tuam*, ab impio proposito retardare potuerunt, quin potius obstinatio-
torem reddiderunt, adeò vt Imperatori contumeliosissimè scripserit: *Ewer May: handlen doch redlich vnd Teutsch*/conditionesque pacis alioquin valde tolerabiles, sibi à pacifico Ferdinando (qui in veritate dicere potest:

*Nullum turbavi, discordes pacificaui,
Lesus sustinui: feriunt, nec ferre recusò*)

oblatus, propriis manibus incendio tradiderit, petulantissimè & indurato prorsus corde asserens, se aliam viam pacis nolle, quam armorum, gladioque totam litem decidi & finiri debere. tam pertinacem, inquam hostem, de quo cum stupore omnes dicere coguntur:

Quam ferus, & verè ferreus ille fuit,

non solùm armis reprimere, verùm etiam repressum, Pro-
uinciis & Regnis exuere fas est; & quoniam hæc ad mili-
tares expensas refundendas, damnaque resarcienda (vt de
periculis, quis enim ea æstimabit? nihil dicam) minimè
sufficiunt, omni iure fatum Christiani Secundi subeat. Nam
qui non habet in ære, luat in corpore. Dicent: *Durus est hic
sermo, & quis potest eum audire?* patientia, audiatur Sapiens:
Potentes autem potenter tormenta patientur, dummodò pa-
tienter, & in vera fide orent, *hic vre, hic seca, vt in æternum
parcas* Non enim personam subtrahet cuiusquam Deus, nec
vere-

verebitur magnitudinem cuiusquam. *Ad vos ergò Reges, sunt
hi sermones.*



Ad secundam.

Clementia innata Sacræ Cæsareæ Maiestati tanta est, vt
parcat facilè victis, cùm perdere possit; ei haud dubiè
fieret satis, si Rex Daniæ Imperiali feudo Holsatiæ, & Dith-
marsia, relictis ipsi integris Regnis, priuaretur. Talis reue-
rà non est hic Christianus, cui orbi nota clementia Cæsarea
parcere possit. Si ipse victor fuisset, quod Deus Opt. Max.
clementissimè auertere dignatus est, *pertransisset anima nostra
aquam intolerabilem*, locusque prorsus nullus clementiæ reli-
ctus fuisset. Tam enim saevus est, tamque cupidus regnan-
di, vt proprio sanguini non pepercerit. Certè non aliud
quàm *misericiæ Domini, quod non sumus consumpti*. Sed vi-
ctus est, nequaquam autem subiectus, superbus est, inquietus
& tyrannus est, ergò omninò debellandus. Nam

— *jumentis pax nulla futura,*

Si rapidum claudas inter ouile, lupum.

Nunquam agro vel minimo, nedum florentissimâ Holsa-
tiâ, vnico suo & suorum patrimonio cedit, ad extremum vs-
que spiritum, de mediis damnum resarciendi, & vltèrius no-
cendi sollicitus erit. Frustrà ei amputabitur cauda nisi caput
simul conquassetur, siquidem *cauda, etiam lacertis atque serpen-
tibus amputata, renascuntur.*

Promittet tandem vltimis immersus miseris, & qui-

B 3

dem

dem iureiurando (si tamen per superbiam licuerit) se vitro Holsatiâ cessurum, quietum postmodum perman-
 rum, nec vnquam limites Regni sui transgressurum; sed
Lorenard *change de* *poil, pas* *de peau.* *verba oris eius iniquitas & dolus.* vbi se recollegerit, redibit
 ad ingenium, seruabitque pacta, vt hactenus Regia verba.
 Nunquid solemniter per Legatum suum Poggewisch/ fide-
 litatis homagio ratione Holsatiæ, Imperatori se obstrinxit?
 nihilominus vt Dux Holsatiæ omnes hasce turbas rebellis
 mouit. Nonne ad Imperatorem, Electores, & Ducem Neo-
 burgicum, quem voluit partes suas apud Cæsarem interpo-
 nere, paulò ante pugnam Lutherensem, literas piùm planè
 ac Christianum affectum redolentes dedit quòd nimirum
 summoperè ipsi tanta profusio sanguinis Christiani displi-
 ceat, ideoque libenter se pacisci velle, imò pacis conditiones
 exoptare? Quod vero nihil aliud, quàm circumuenire, & sup-
 plantare voluerit, inde apparet, quòd immediatè post, con-
 tra Imperialem exercitum, quem iam falsa spe lactatum, ni-
 hil vterius periculi metuentem, adeoque dispersum autu-
 mabat, clam de nocte mouerit, spe plenus, eo deleto, se abs-
 que obice per Thuringiam, in Bohemiam, inde Viennam,
 cor Domus Austriacæ, quæ instar muri ahenei, hactenus
 belluæ Mahometicæ, Christiani sanguinis sitientissimæ, ma-
 ximo totius orbis Christiani commodo, strenuè & poten-
 ter se opposuit, auxiliantibus complicitibus, ipsis Turcis, & a-
 liis huius farinae hominibus, occupatum, exercitum suum
 ducere posse.

Multa ca-
dunt in-
ter calicè,
supremâ-
q. & abra.

Si toties fidem illæsus, summo honore habitus, fregit,
 quomodo deinceps toties cæsus & læsus, tantoperè humilia-
 tus & castigatus, homo vindictæ cupidissimus, & bulla am-
 bitionis eam seruabit? parcere solet bonitas Austriaca, non
 quo-

quouis modo victis, sed subiectis: attamen *memoria prateritorum, futurorum prouidentia, necessariumque,*
 ——— *debellare superbos.*

qui secus fecerit, tandem damno suo dicet: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar, seu fidebam illis, impugnabant me gratis.*



Ad tertiam,

Quid si ultra Holsatiam, reliqua quæ cis mare sunt, & Holsatiæ annexa, Slesuicensis Ducatus, & Iutia, aliàs Cymbrica Chersonesus, ei adimantur; Fionia vero, Selandia, florentissimæ, aliæque minores insulæ, cum Scania, Hollandia, Blechingia, prouinciis fertilissimis, totumque Regnum Noruegiæ concedatur? hoc modo & gratia de more Austriacorum ei fiet (indignum enim videtur Regem penitus pessundare, & Regnis auitis omninò exuere, quòd quoque Carolus Quintus noluit) & hostis tantoperè fractus, parum vel nihil obesse poterit.

Quo titulo ipse, Parens, Avus & Proavus Regnis potiantur, nempe execrandæ tyrannicæ inuasionis & usurpationis, vero & legitimo, nato & coronato Rege, proximo horum consanguineo, amoto, & carceribus barbarè mancipato, Reginâ & liberis in exilium impiè actis, docebit sextaratio; quanta quoque disparitas inter hunc malum Christianum, ex technis & imposturis compositum & Franciscum, verum & legitimum Regem Franciæ, Christianissimum & pium; quomodo etiam hic pacta seruârit, nullum qui vel extremis digitis historias attigit, latere potest.

Nocere potest quicumque tandem, etiam priuatus homo,

mo,

mo, maximè talis, qui in nocendo summum se bonum consecutum existimat. Certè quamdiu Selandiam suam, insulam amoenissimam, vbi portus ille famosissimus, vulgò Sunda, retinuerit, egregiè nocebit. Hactenus Regi Catholico, aquâ sua clandestinus hic hostis plus, quàm puluere tormentario aperti rebelles damni intulit. Non solùm enim per hunc locum, commeatus, verùm etiam ligna, ferrum, & id genus alia pro conficienda classe bellica, contra Regem suum, Hollandis aduehuntur. Quâ de causâ Rex Hispaniarum non semel, oblato Regi Daniæ longè maiore lucro, quàm alias inde habeat, hoc fretum instantissimè expetiit, quod quoque Rex Daniæ in manus eius se consignaturum, quando ipsi cum Hollandis simultas intercessit, minatus est. quo tantum ipsis timoris incussit, vt quos prius insolentes, & clauis Ambsterodamiensi clausam Sundam referendam iactantes timuit, post supercilia demittentes, supplices, & ad genua habuerit. *sic mulus mulum scabit.*

Deinde hoc fretum plurimum impediet, quo minus Suecia, tot annis rebellis, hero suo recuperetur, quod & hactenus fecit. Denique quid hæc Sunda Principibus & Ciuitatibus Imperij damni, impedimenti, & vexationis afferre possit, hactenusque attulerit, vix exprimi potest.



Ad quartam.

LVtherana Religio rebellionem, & hæc illam, in Daniæ inuexit. Ex Christiano Primo, de quo prius, tanquam ex radice, duo pullularunt rami. Iohannes & Fridericus. Iohannes, qui senior fuit, veterem quoque reli-

religionem piè coluit, patri immediatè successit. huic filius erat Christianus Secundus, itidem Catholicus, patri similiter immediatè subrogatus, hunc postea amouerunt Dani, & ita exaruit hic ramus, qui Catholicum florem protulit. In eius locum suffectus est Fridericus, qui hæreticus fuit, & hæresin in Dania iam pullulantem, radices agere fecit.

Hic Fridericus, totaque eius propago, adulterina tradux, vt sectæ Lutheranae, quod in sexta ratione fusius dicitur, ita quoque dissensionibus, turbis & molitionibus in Imperio, sedulam operam nauarunt, pestiferosque conuentus, cum aliis Regibus & Principibus eiusdem farinae, egerunt; Fridericus Primus anno 1524. Malmogiæ in Dania, cum Gustavo Sueciæ Rege, multorumque Legatis ex Imperio. Christianus Tertius, eius filius, anno 1538. Brunsvici ipsemet, & eodem modo Fridericus Secundus, Christiani Tertij filius, anno 1586. 18. Iulij, Lüneburgæ, vbi conuentus Principum Imperij acatholicorum, & Legatorum Regum Nauarræ, & Scotiæ, necnon Elisabethæ Reginæ Angliæ, celebrabatur, comparuit. Christianus modernus non solum *astitit omni via non bona*, clandestinaque; huiusmodi conuenticula sæpius coegit, verum etiam quascunque aspides secretorum confiliorum, venenato semine, parens, auus, & proauus conceperant, is instar viperæ in lucem edidit.

Quandoquidem itaque; his exemplis, vt alia aliorum Regnorum non attingam (extra Daniam enim hinc & nunc vagari nolo) luce meridianâ magis perspicuum fit, perfidiam Lutheranam seu Calvinisticam, fontem omnis perduellionis, originem & fomitem omnis rebellionis esse; quod mox in initio ipsemet Faber huius sectæ Lutherus, & post ipsum passim in Postillis queruntur Schmidel / & alij, qui eandem
C. incu-

incudem tundunt : proinde quamdiu hæc sedem & pedem
fixerit, inter Christianos alta pax nunquam sperari poterit.
nam, *non est pax impiis, dicit Dominus.*

Quod si Cæsareus miles vel dimitteretur, vel saltem ex
partibus illis, vbi tam victoriosus & tremendus, imò miracu-
losus est, abduceretur, quàm difficile, vtinam non impossi-
bile, foret, motus, qui etiam fatis functo hocce Christiano, o-
mnis pacis turbatore, in locis hæresi infectissimis facillime o-
rientur, sedare, maximè si quidem primogenitus eius, Chri-
stianus Quintus, *mali corui malum ouum*, patri iam pridem con-
tinationem huius belli iureiurando promisit. Nec ab ipso
aliud sperandum, etiam si necessitate adactus,

— promittat contraria menti,

Iuret, periuret.

Nam,

Quo semele est imbuta recens seruabit odorem,

Testa diu.

& licet,

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.

Cæsari non semper suppetet miles tam exercitatus, aut Ca-
pitanei tam gloriosi, qui (quod Narses olim) *orationibus & vi-*
giliis plura, quàm armis cæteri conficerent. Dimissis his vigili-
bus, facilè

Incustoditum, captat ouile lupus.

Igitur

Vel nunc, vel nunquam,

— — — — — *pòst est occasio calua.*

Regem Macedoniae Philippum, Titus Quintius ex to-
ta Græcia, quam vi occupauerat, vt Regem Daniæ Christia-
num Quartum, miles Cæsareus ex tota Germania eiecit,
Ma-

Macedoniâ Regno hæreditario & legitimo, indicto tributo, contentum esse iussit. Sed quid factum? abducto milite Romano, Philippus paulatim & clam se recollegit, vires restauravit, & insigni longeque maiore, quam antea, apparatu (vidit enim errores & defectus prioris) non solum adempta recuperatum, sed etiam vindictam sumptum, denuò bellum Romanis intentavit, quod morte præventus, filio Perseo effectui mandandum reliquit. Is multis vicibus & annis, felicissimè cum Romanis manus conseruit, Remq; publicam horrendè afflixit, donec tandem, non sine summis molestiis, sumptibus & periculis, imo rebus quasi desperatis, Româ in Macedoniam, nouo & numerosissimo exercitu allato, eius insolentiam Lucius Paulus Consul, post varias acceptas strages, refrænaret.

Scipio quoque Africanus, superato Syphace & Hannibale Carthaginensium, longè facilius Carthaginem se submittentem, supplicem, victasque manus tendentem, victoriosus suis deleuisset, quam post, viribus resumptis, denuò aleam belli tentantem, alter Scipio Africanus, prior enim iam in fata concesserat, nouum exercitum Româ, incredibili defatigatione, periculis immensis, longissimo & scopuloso itinere emensis, aduchens euertit.

Si Græci Baiasit Gilderun, qui Constantinopolim obsidione cinxit, & postea à Tumerlano, solutâ obsidione, abductus fuit, filiis, quos in manibus habebant, accepta pecunia multa, non pepercissent, ab iisdem non fuissent in tam Huomo
morte
non fa-
guerra. diram & deplorandam seruitutem redacti.

Huiusmodi exempla, quæ docent inimico reconciliato haudquaquam fidendum, nusquam non obuia sunt; de hæreticis autem,

*Esto mihi centum lingua sint, oraq; centum,
Vix tamen illius fraudes, memorare valerem.*



Ad quintam.

Consideretur penitus, initium & progressus totius huius tam cruenti & diurni belli, quo Cæsar hostes occidere coactus est, ut ipse cum suis vivere posset, apparebit digitus Dei, quem falsò iactârunt aduersarij in Cancellaria Anhaltina. Atque imprimis, in deturbatione Cæsarianorum per altissimam fenestram (quæ prologus erat funestæ huius tragœdiæ) ubi præcipites dati, sclopisque petiti, imò tacti non solum indemnes, præcipitatoribus miserimè pereuntibus, permanserunt: verùm etiam è manibus ipsorum euaserunt, etiamnam incolumes; apparet manifestè præsidium Angelorum, quo olim vir Dei Eliseus per medios hostes excæcatos, tutus elapsus est. næ cæcus est, qui secus iudicat.

Perpendatur item numerus, conspiratio, confœderatio, astutia, & pertinacia hostium, qui *fortè viuos deglutissent nos gloriantes se media in manibus habere, quibus mare Adriaticum cum Oceano coniungere, imò mundum sursum deorsum vertere possent.* *Et peu. de mots, nous auons le moyen entre nos mains, de ren verser le monde.* sunt verba Ansbacensis, Generalis & Directoris vnionis, in Cancellaria Anhaltina. ubi nihil aliud dicere possumus, quàm, *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*

Pona-

Ponatur prætereà ob oculos, discrimen & angustia, in qua Augusti Cæsaris res erant, cui, debacchantibus in eum omnibus furiis infernalibus, hinc Vngaris, cum Turcis & Tartaris; inde Bohemis, cum Germanis, Anglis, & Hollandis; omnibusque regnis & prouinciis partim apertè rebelantibus, partim vacillantibus, occasionemque expectantibus, nec ipsa aliàs tot annis, Cæsarem alitrix, & Archiducum sedes Austria inferior, fidelis permansit. Status enim eiusdem, Retzij congregati, 2. August. Anno 1620. Fridericum Palatinum, Dominum & protectorem elegerunt, teste protocollo Christiani iunioris, Principis Anhaltini, quod sic habet: *Les estats de ces pays assables à Retz, ont receu & reconnu aujourdhuy Sa Maiestè de Boheme, pour leur Seigneur & Protecteur.* Quid dico de Austria? Viennæ inclusus, nec ibi, notatis ædibus Catholicorum, imò nec in aula sua securus, Imperator inter malleum & incudem versari visus est, non quidem in oculis suis, quibus indefinenter in cælum defixis, cum Regio Psalte, immotus lætusque cecinit; *In Domino confido, quomodo dicitis anima mea: Transmigra in montem sicut passer? Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vite mea, à quo trepidabo? dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me præ ium, in hoc ego sperabo. Sed longè aliud timebant amici, sperabant hostes, imò non sperabant, sed securi expectabant. Ex amicis, verè pauci accinissent:*

*Ferdnandus fortis, freudentia fulmina fert
Fortuna, frustra fataq, forsque furunt.*

C 3

plu-

plurimi:

*Non facit ad vastum, paruula cymba, mare;
proinde rerum irrecuperabilium omnium præstantissimum reme-
dium obliuio. Ex hostibus verò,*

*Innumeri fuerant vates ventura canentes,
non quidem ex Tripode Apollinis, sed*

Ex tobacco, cerebro vertigine verso:

Anglia florebit, ruet Austria, Romaq; flebit.

Sponsa Duci nupsit Regia, Caesar erit.

FriDerICVs reX roManVS.

FriDerICVs IMperator a VgVstVS,

Cōto sen-
za il' ho-
sto.

Alij epinicia (sed ante prælium) cantabant. in mensa Beth-
lenij Pofonij Comes ab Hollach & alij; Ferdinandus (alio
titulo nō dignabantur supremam Maiestatem in terris, Do-
minum suum) sæpè protestatus est, malle se ex omnibus di-
tionibus suis, baculo in manibus exire, quàm vel minimum
contra dictamen conscientiaẽ concedere; ecce nunc bacu-
lum manibus tenet. * migrandum ei erit, & quidem in ere-
mum. Omnes vno ore clamabant & reclamabant: *Nolu-
mus hunc regnare super nos, potius Turcam, vel certe Diabo-
lum. Il seroit mieulx de prendre plustot un Turc, voire un diab-
le à la succession de l'Empire, que de la laisser venir à Ferdi-
nand.* ita loquitur Princeps Anhaltinus in protocollo. Nun-
quid hic dicere licet: *Lapidem, quem reprobauerunt ædifi-
cantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est
istud, & est mirabile in oculis nostris.* Ite nunc lassumque
occinite; *versa est in luctum cithara, & organum in vocem
flentium.*

* Verum.
sed quo ho-
stes feriat,
suos con-
soletur.

Note-

Notetur deinde solutio tam potentis vnionis in Imperio, & arctissimæ confœderationis Bohemorum, cum tot regnis & prouinciis. Res mira,

In nihilum, illa omnis soluitur harmonia.

Tot legationes, propositiones, cōsultationes, conclusiones, subscriptiones, obsignationes, confirmationes, irritæ; tot protestationes, comminationes, aggratulationes, contributiones, expeditiones, vanæ; tot pacta, decreta, vota, vincula, fœdera, sacramenta, rupta, cassa, & meræ scopæ dissolutæ. Quis non videt digitum Dei? si literæ confœderationum eo digito, & non manibus hominum subscriptæ, obsignatæ, & communitæ fuissent, quis eas dissoluisset? *Quoniam si est ex hominibus, consilium hoc aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere, dixit olim Gamaliel.*

Ponderentur quoque tot & tam inauditæ victoriæ, Pragensis (vbi inter Catholicorum cohortes, à trepidantibus, & fugam circumspicientibus hostibus, testantibus ipsis aduersariis, ab Hieremia Drexelio, in Horologio tutelaris Angeli, citatis, visæ sunt legiones angelorum) Wimpfensis, Hochstensis, Monasteriensis, Lutherensis, aliaque innumera, quibus *anima nostra tanquam passer, erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Certè ibi non modò digitum Dei viderunt, sed & manum senserunt.

Repetatur denique memoria, recuperatio tot regnorum & prouinciarum tumultuantium, moderatio vacillantium, castigatio rebellium, pacificatio insolentium vicinorum & communis hostis, occupatio Palatinatus (qui erat *cathedra pestilentia*, in qua sedebat, qui nunc *tanquam puluis, quem proicit ventus à facie terra, eiectus est*) Holsatiæ, Dithmarsia,

marisæ, Ducatus Slesuicensis, & Iutis; liberatio tot Episcopatum, translatio Electoratus, abolitio Literarum Maiestatis, reformatio tot populorum, &c. apparebit sole clarius (quod Tillius sæpenumerò, non sine summa admiratione, maximè Holfatiam intuens, dicere fertur) digitus omnipotentis, qui Ecclesiam Catholicam, quam sanguine mercatus est, exaltare, & tandem precibus piorum placatus, tam miserè & leuiter seductorum misereri dignatur. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia. Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioseph. Viderunt te aqua Deus, viderunt te aqua, & timuerunt, & turbata sunt abyssi.*

Ecquis igitur gladium, quo manus Omnipotentis inimicos crucis Christi in vindicationem Sponsæ, quam, licet de ea Sponsus testetur; *Et macula non est in te*, innumeris conuiciis commaculare non cessant, ferit cohibere audebit? Achab Rex Israël, postquam hostis sui, Regis Syriæ Benadad, quem Deus puniendum cum toto exercitu miraculosè ei in manu tradidit, vitæ pepercisset, ex Propheta audiuit; *Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte, de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.*



Ad sextam.

Christianus Secundus, natus & coronatus Rex Daniæ (vt vtar verbis Magni *Güldenstern* / Præfecti Friderici Primi in a rce *Aggershus*) cui coniunx fuit Isabella, Philippi Pri-

Primi Regis Hispaniarum filia, Caroli Quinti & Ferdinandi Primi Imperatorum soror, ab huius Christiani Quarti proavio, Friderico Primo, & Statibus, à Regio solio amotus, & exilio multatus fuit. Et vbi nouennio pòst rediit, Noruegiamque recuperavit, persuasus à Legatis Friderici Hafniam nauim descendit cum Canuto Guldenstern, qui ei nomine Friderici (quod testatur Chytræus & quotquot hanc historiam describunt) securitatem promisit, *nimirum vt ad patrum nauigaret, & coràm de conditionibus pacis cum eo transigeret, quæ si displicerent, liberum ei esset, quo vellet ex Regno discedere;* verum sic Christiano seruârunt datam fidem, vt nec ad Fridericum admissus turri quatuordecim annis inclusus fuerit. Ius omninò hoc suasisit, sed per metathesin. nec mirum; nam

Tollitur è medio sapientia, vt geritur res.

Ego quidem hunc Christianum Secundum, quem tot accusant, non excuso. Qui eius defensionem scire cupit legat Apologiam Cornelij Scepperi, magni viri, Cancellarij eius, quâ ea, quorum insimulabatur Rex, deterfit. Et reuerà ipsum tantæ sæuitiæ & tyrannidis non fuisse, quantæ accusatur, vel inde apparet, quod plurimi, etiam relictâ patriâ, ipsi fidem seruauerint. Hafnia (quæ amarissimæ, quando cum Regina & liberis furori patrum & ipsi adhaerentium cedens, conscendit, fleuit) & Malmogia, primariæ ciuitates Daniæ, diurnas & exitiales, testantibus omnibus historicis, in ipsius, tam extra Regnum commorantis, quàm post incarcerationi, gratiam, obsidiones, etiam donec omnis commeatus inopiâ & fame expugnarentur, sustinuerunt. Multa millia ciuium & rusticorum armis ipsum restituere conati sunt, & extrema tentârunt, imò decem integris annis (teste Nicolao Helduadero Christiani Quarti Theologo & Mathematico,

D

in

in Sylua Chronologica maris Baltici) in ipso restituendo, magna pars Regni desudauit, nec nisi summâ vi & tyrannide coacta, ab ipso diuelli, & Friderico, aut post ipsum Christiano Tertio filio eius, parere voluit. Testis inter alias, est Ciuitas Ducatus Slesuicensis Apenrada, amoti Regis & liberorum aliàs hæreditaria, vbi talem crudelitatem & barbariem, tam in foeminas, quàm in viros, solùm quod hero suo eiusque liberis, hæreditariis Dominis fidelitatem seruare voluerit, exercuerunt milites Friderici, vt nec ab ipsis barbaris, Turcis aut Tartaris crudelius quid excogitari posset. pudor exprimere prohibet. Certum est, vbi Iutiorum, reliquis prouinciis iuramentum fidelitatis ei renouantibus, practicas cum Friderico intellexit, humanissimè (vt verbis vtar Helduaderi) iuri fisti, & ibi de omnibus respondere petiit, quod nec Rex à subditis, obtinere potuit. *Et Christierni quidem causa*, dicit Melchior Goldastus in commentariis de hæreditaria Regiæ Bohemorum familiæ successione, lib. 1. cap. 5. *sine dubio in Regimento Cesareo & Camera Imperiali viturafuerat, ni mors Regis eam soluisset, vt manifestum fit ex actis Dennemarck contra Dennemarck, in causa spoliij & fractæ pacis publicæ.*

Enormiter quidem, fateor, in D. Schlagebeck / Archiepiscopum Lundensem, quicquid tandem is commiserit, deliquit. Ipsum enim variè tortum, patibulum prius conscendere, postea viuum, non habito respectu vllò eminentiæ & dignitatis Archiepiscopalis 24. Ianu. anni 1522. publicè Hafniæ comburi fecit. hîc nec Schepperus, nec alius vllus vlla Apologia aliud dicere poterit, quam: *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Et vel ob hunc, fortè & Stockholmiensem, laniatum, Deum ipsum puniri voluisse aliquis crediderit.

diderit. Sed in Apologia, huius mentionem Status non fecerunt.

Vtut sit, subdolè, impiè, barbarè & contra omne ius gentium cum Rege suo egerunt Dani. Et licet nescio quid is commeruisset, nihilominus respectum debuissent habere tantæ Reginae, & filij Regij, cui corona omni iure & consuetudine debebatur. Excusant se quidem, non de filio excluso, sed Regina, iurantes se ei fasces submisisse, sibiq; nihil gratius accidere potuisse, quam si in Dania mansisset, rerumque potita fuisset,

— *si credere fas est,*

Obedientissimos sanè habuisset Regina subditos, fidumque socium regiminis Fridericum, qui prius quàm ipsa cum marito & liberis ad tutiora se recipere vel cogitasset, electus à Iutiis solemniter proclamatus Rex fuerat, hostes & persecutores crudelissimos mariti sui, quem vnicè semper amavit (quod perhibent omnes historici) & liberorum.

Duas solemnes rationes adferunt Ordines & Status Regni, vt videre est apud Chytræum & alios, in Apologia sua, quare Fridericum in locum amoti Regis suffecerint, imò quod hic honor (vt ipsorum vtar verbis) iure ipsi deberetur. quòd nimirum ex inclyta Regum Daniæ prosapia originem ducens, Regis Daniæ filius natus sit; & patrimonio suum, ex paterno Regno ipsi debitum, nondum acceperit. Sed proh Deum immortalem, nonne Iohannes Christiani Secundi & Isabellæ filius, cum Friderico Christiani Primi filio, eiusdem stirpis, etiam Regem Daniæ parentem habuit, & præterea auum & proauum Reges Daniæ, omnes sibi immediatè succedentes? De patrimonio verò ex Regno paterno; Fridericus in Ducatu Slesuicensi & Holsatiæ,

D 2 plu;

plurima bona possedit, multa que beneficia ex Regno & Rege Iohanne, fratre tuo, parente Christiani, imò ab ipsomet Christiano ingrattissimus cuculus accepit: hic autem non solum nullo Ducatu, bonis, aut beneficio gaudebat, verum etiam ex Regno & omnibus prouinciis exulare iussus, imò bonis hæreditariis in Ducatu Holsatiæ & Slesuicensi, quæ parenti eius in diuisione Anno 1513. inter ipsum & Fridericum facta, obtigerunt, penitus (quod nimis tyrannicum fuit) priuatus, in exilio nouem annorum, ærumnis & miseris confectus est. Hoc tantoperè Isabella mater, eadem prorsus fortunæ & Danorum inhumanitate iactata indoluit, ut paulò ante vltimum diem, quem anno 1525. pariter in exilio, miseriam, & teste Hæduadero, extremam paupertate obiit, longo & supra modum lamentabili sermone (quem de verbo ad verbum, idem Hæduaderus describit) multis suspiriis & lachrymis profusis, dixerit: Se Regis filiam, ab Archiducum Austriæ, summa orbis Christiani Imperatorum, & Regum familiam oriundam, Imperatoris germanam, Regis olim potentissimi coniugem, exilium & omnia aduersa æquo animo & patienter quidem ferre, sed nec curare velle, si filius,

N.B. De- uotio Danorum erga Reginam suam. vel saltem vna ex filiabus (quarum altera Palatino Rhæni, altera Sfortiæ, dein Duci Lotharingiæ nuptui tradita erat) in Danica sceptrâ successisset, vel minimum ossa sua in Dania, vbi octo annis Regina fuerat, quiescere permessa fuissent,

Esse potest toto tristius orbe aliquid?

Certè Philippus Primus non ideò filiam, nec Carolus Quintus & Ferdinandus Primus sororem in Daniam miserunt, ut inde cum liberis etiam bonis hæreditariis exutis post exularet, & quidem in tanta miseria & calamitate.

Nonne hinc Augustissimæ Domui Austriacæ æquissima
& iu-

& iustissima prætenſio Regni, omniumque prouinciarum, à Carolo Quinto etiam viâ armorum, ſed ob bellum cum Rege Gallia, irrito ſucceſſu, tentata, & poſteâ inteſtiniſ turbis Imperij, à Ferdinando Primo uſque in hoc tempus impedita, imò Ferdinando Secundo Auguſtiſſimo à Deo reſeruata, & nunc præter omnem expectationem oblata? Licet enim Danis poteſtas eligendi Regem ſit, filium tamẽ vltimi Regis ſui eligere tenentur, quod & Poloni, imò & Imperium sæpius obſeruârunt: ſecus autem facere, Dani ſemper impium iudicârunt, quod in Saxone Grammatico & Alberto Crantzio videre eſt, ex quibus pauca, ſeu ſufficientiſſima hæc allegare libuit.

Frotono magno vitâ functo, Regni gubernacula quidam Hiarnus adeptus eſt; vt autem Fridleui, filij Frotonis, in exteris locis degentis, cuius iam pridem obitum falſo didicerunt nuncio, vita innotuit, Regno cedere Hiarnus ab Ordinibus Regni, coacto concilio, iuſſus eſt, Fridleuoque *iuſto ac vero heredi* (verba ſunt Crantzij) *paternum Regnum iure ac* N.B. *lege traditum fuit, ne verum honoris heredem adulterinus poſſeſſor elideret.* Ita loquitur Saxo Grammaticus, in Dania patria ſua, vt antiquiſſimus, ita quoque authenticiſſimus hiſtoricus.

Haldanus Rex, quod plus eſt, Vnguino, teſtamento Regnum Dania legauit, cui nec ſtatus contradixerunt, ſed potius paruerunt.

Eodem modo, Cnuto Secundus cum Magno S. Olai filio, Noruegia Rege pepigit, vt vter eorum ſuper eſſet, vtrique Regno præſſet. Cnutone decedente abſque liberis, Magnus, vi pactiõnis, Regnum etiam Dania conſecutus eſt.

D 3

Sed

Sed dicent exempla hæc antiqua & obsoleta nihil ad rem facere. dabo recentius.

Anno 1411. Margareta Regina Daniæ, quæ orba coniuge & unico filio Olao, ipsamet rerum potiebatur felicissimè & quidem in tribus regnis aquilonaribus, adoptatum filium, Ericum Pomeraniæ Ducem, Regem & successorem constituit, quem quoq; eadem tria regna absq; reclamatione acceptarunt. Et quid multis? Ipsimet Dani anno 1523. in Apologia superius citata, expressè fatentur, se filium Regis sui eligere teneri, dum Friderico hunc honorem, id est Regnum iure deberi, quia parentem Regem Daniæ habuit, asserunt.

Sed ad propositum nostrum magis facit, quòd Lothero Rege Daniæ, iam olim ante partum Virginis, ob tyrānidem, erat enim inter bonos Principes monstrum, è medio sublato (quod, licet barbarum, Romani, iam optimis legibus instituta Republica, non semel in suos exercuerunt) filium eius admodum puerum, Schioldum, nihilominus in Regio Solio collocarunt, qui quoq; habenas Regni multis annis felicissimè moderatus est, omnibusq; que carus fuit. Quâ igitur fronte Dani Christiana luce illustrati, amoto, & postea contra datam fidem incarcerato, Rege nato & coronato suo, quem tyrannum non probarunt (nam *hirundo non facit ver*) eius quoque filium, puerum & prorsus infantem reiecerunt; imò bonis hæreditariis spoliatum, in exilio, & quidem nouem annorum, perire fecerunt? quod etiam Ethnici tanquam impium, barbarum, & crudele nimis abhorruerunt. Hi *surgens in iudicio cum cognatione hac, & condemnabunt illam.*

Vnum reperio exemplum, quod pro se Dani allegare poterunt. Sancto Canuto Rege Daniæ à Danis occiso, Regina cum impubere filio Carolo, qui post in Flandria rebus excessit

cessit humanis, ex Regno abiuit, cui Olaum fratrem, sed hostem S. Regis, impium & sæuum, neglecto filio, præfecerunt impij parricidæ, gloriantes tyrānum oppressum. Sed rerum arbiter Deus & vindex malorum, inaudita annonæ caritate & ingenti fame, sub hoc Olao Daniam ad decennium puniuit, nec placari, vel agris fœcunditatem restitui voluit prius, quàm summa rerum ad Ericum Quartum, alium fratrem S. Canuti, ei que in primis carum, pium Principem ac magnum amatorem & benefactorem Ecclesiæ deuolueretur.

Si hîc, ô Dani, impios & Parricidas egregiè & per omnia imitati,

————— *iura fidemq;*

Et rupto, patrias violastis, fœdere leges;

nisi quod illi Regem suum interemerint, vos autem morte ciuili, 14. annorum horribili carcere (quod longe crudelius genus mortis in Regem fuisse, nullus sanæ mentis diffitebitur) affecistis: pœnam quoq; diuinam certo certius expectabitis, donec pium Principem ac amatorem Ecclesiæ in locum hostium & oppressorum eiusdem subrogaueritis.

Quod itaque in Rege vestro nato & coronato, vero & legitimo ad carceres barbarè, & contra omne ius gentium, detruso, Regina & filiis in exilium impiè actis, magistra hæresi, deliquistis; nunc, Deo duce, postliminò redeunte Catholica religione, rebellionem auersante, ad pœnitentiam & restitutionem inuitante, in hoc Rege & filiis omnis paterni sceleris consciis, iustè, & si sapitis, libenter luetis. Lutherana religio & Regia hæc linea, simul in Daniam subintrarunt, nunc quoque simul eiciuntur. Eodem tempore veræ religioni & vero Regi rebellastis, religiosos & regios, nullo habito respectu seu commiseratione, Episcoporum vel Prælatorum,

Re-

*Peccato
vechiope-
nitenza
nuoua.*

Reginæ aut Regiæ prolis, impiè & crudeliter abrogastis, in-
carcerastis, in exilium egistis, extinxistis; nunc utrique simul
redeunt de vobis triumphabunt. *Quoniam exaudiuit paupe-
res Dominus, & vinc̄tos suos non despexit.*

Rogate, quæso, voluite & reuoluite historicos ve-
stros,

— *& vosmet rebus seruate secundis.*

Anno 1527. in Dania & Noruegia, tres Soles visi sunt. inter-
pretationem accipite. Duos habetis Reges, tertius inuitif-
mus simul & inuictissimus, armis vestris accersitus, inter
duos litigantes hoc 1627. anno gaudet nec immeritò:

Sic credit ad Dominum, quod fuit ante suum.

Sed quid de filiis Regiis? *In malitia eorum disperdet eos, dis-
perdet illos Dominus DEVS noster. Simul reliquæ impiorum
interibunt.*

Memineritis obsecro, quod Tycho Brahe perillustri in
Dania loco natus, famosissimus Mathematicus, huic Regi,
in signi persecutori non solùm suo, verùm etiam multorum
illustrium virorum, futurum prædixerit, quid item simplex
quidam homo, nomine Niels Pierson/ei, postquam Eccle-
sias campanis diuino officio olim dicatis, in vsum tormen-
torum bellicorum, quæ tamen prima explosione rupta sunt,
spoliaffet, à Deo missus, ut aiebat nunciauerit. Et licet hæc
fabulosa somnia & deliramenta potius, quàm veritatis testi-
monia, primo videantur frontispicio:

At veritatem tempus in lucem extrahit.

Etenim ut in sacris & profanis videre est paginis,

Sæpe sub obscuris, latitant mysteria, signis.

N B. Benè igitur expendite quæso, quid sibi voluerit peregri-
na auis ex aquilarum genere, pennis nigris, flauis pedibus, &
can-

candido pectore, qui anno 1606. primo super Ecclesiam S. Nicolai, deinde super tres coronas arcis Hafniæ per plures dies, pomeridiano tempore iaculatoribus se exposuit, globosq; omnes rostro excepit & abegit, vt tandem timidi desisterent iaculatores. Vbi hæc aquila, quæ globos vestros excepit & abegit, vester enim

Rex fuit, horrendos, primus qui protulit enses;
Arma & in armatos, sumere iura sinunt.)

sub alis suis, tres coronas boreas protexerit, bene ibi rehabit Ecclesia. *Cogitationes antiquas fideles amen.*

Quid vobis in memoriam reuocem simplicem illum rusticum Laurentium, cui in agro Himmerig / propè Asloiam Noruegiæ, publicata hæresi, scala apparuit ex agro in cœlum, in qua sedens Diua Virgo (quam vt Matrem Dei & Reginam non solum suam, sed etiam cœli, regna ista olim dimissè coluerunt) ei mandauit, vt proceres moneret, ne seductioni fidem haberent; fore aliàs, vt filij grauißimas pœnas infallibiliter incurrant. hic in Daniam perrexit, mandato satisfaciens, & amplius non visus est. *Intelligite hæc qui obliuiscimini D E V M, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Quod S. Brigitta, S. Lucius, quem Deus perpetuum Patronum Daniæ deputauit, vt ipsemet confessus est; nec non S. Stephanus qui tria ista regna aquilonia circa annum Christi 1510. circumiuit, prædicans & monens vnumquemque, imò hominem, qui paulò pòst rerum nouandarum studio, carnis & ambitionis æstu agitarus, nouæ & funestæ sectæ telam exorsurus esset, digito ostendit, tandemque reli-

E

gionem

gionem exulem, sanctam & manibus Dei textam, in priorum sedem, superum auxilio reducendam, prædixit, miraculis quoque fidem fecit. quod hi inquam, aliique Sancti Dei, fatidico spiritu vaticinati sunt, nunc per Dei gratiam adimpleri videtis. Danica igitur meritò *exultet terra, latentur insula multe.*

Nunc fateri cogimini verum dixisse & prophetasse, anno 1536. & nonnullis sequentibus, religiosos viros, qui *ibant gaudentes à conspectu concilij vestri*, ex monasterio *Westerwiig!* propè Thistadium in Thy:

*Torquemur, trahimur, toleramus tetra, tacemus:
Tanta tamen tandem tollet tortura triumphum.*

Nunc sonus tormentorum bellicorum vos vexat, qui sonum duarum campanarum, quæ in cælo per tres annos ab Autumno in profundum hyemem, altera maior, altera minor, audiebantur, surdi contempistis.

Nunc vos ex propheta audire oportet: *Terra vestra deserta*, qui olim ab Ecclesiasticis viris, peregrinantibus auribus exceptis:

*Quas sacras ædes pietas construxit auorum,
Has nunc posteritas deuastat more luporum.*

Vos, inquam, qui domus Dei plurimas euertistis, desertas, speluncas latronum, seu teste Heduadero vestro tabernas partim cauponibus, partim carnificibus fecistis, & in loco summi altaris (quando apud vos

Omne in præcipiti vitium stetit)
patibula erexistis. Inaudita barbaries; sed

Nil

*Nil ratio & usus audet in magnis malis.
Tenet horror artus.*

Multo sanè humanius hisce hominibus (si tamen
—— *sunt homines, hoc nomine digni*)

Christianis, erga huiusmodi Ecclesias Christianorum, affectus fuit Imperator Alexander Seuerus, licet Ethnicus, qui popinariis prætentibus & rependentibus locum, tanquam iure ad eos spectantem, vbi Christiani Ecclesiam, & in ea altare iugi sacrificio erexerant, respondit: *Melius esse, vt quomodocunque illic D E V S colatur, quàm vt popinariis dedatur.*

Nunc *ciuitates vestrae succensæ*, qui olim imaginem S. Seuerini in loco sancto, quem elegit sibi Deus, & ad quem deuotionis causâ maiores vestri cateruatim in antiqua sancta simplicitate cordis peregrinantes confluxerunt, ibique pias preces ad Deum in omni necessitate effuderunt, & exauditi sunt, in ignem, qui mox furere incepit, & à vobis nullatenus extingui voluit, illotis manibus iniecistis. Ibi quidem miraculum attoniti agnouistis, sed de more eorum, qui Salvatore mundi in dæmonio miracula patrare blasphemauerunt, non minus quàm submersionem nauigij, quo Rex vester columnas illas, quas ex Ecclesia Nidrosiensi, vbi corpus S. Olai quiescit, sublatas, in prophanos vsus conuertere volens, Hafniam transferri iussit, diabolo adscripsistis. Creditote mihi,

—— *Non facile est superos contemnere testes.*

Nunc regionem vestram alieni coràm vobis deuorant, qui

E 2 ser-

feruos Dei olim *lupi rapaces* deuorastis *morsu amarissimo*, ex numero eorum, de quibus Deus: *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, sicut escam panis.*

Nunc, nunc experimini, quid protenderint tot apparitiones armorum & militum in Iutia anno 1609. quibus sæpius obuiam armati exiuiſtis, non pauci etiam consternati, habitationes vestras deserētes, ad tutiora vos recepistis. Malum hoc erat præſagium pro Christiano Quinto, Regis vestri filio, cui homagium sequente anno præstitistis.

Iam edocti estis, qui inauditi terræ motus etiam in Noruegia, inter rupes & petras durissimas, anno 1623. indicare voluerint, quamque ob causam cœlum toties vobis sanguinem pluerit. Sanguis fratrum vestrorum, in quos olim adeo barbarè sæuistis, vt etiam mortui à vestra barbarie & feritate non fuerint immunes, qui anno 1575. Flensburgi (vt vno exemplo mille aliorum vobis memoriam refrigerem) Monachum, quem vel Helduaderus vester virum probum, pium ac Christianum appellat, in loco inhonestissimo vnà cum cane, quod vir sanctus sanctam fidem, sine qua impossibile est placere Deo cum hæresi commutare noluerit, sepe liuistis, canes rabidi,

Atque lupi sæui, nimium feritatis habentes.

sanguis, inquam, fratrum vestrorum in cœlum tot annis clamans, nunc exauditus est, & sanguine vestro expiari debet. Si tunc verum esse, quod veritas dicit; *Eadem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis*, putassetis, non esset vobis modò necesse cum filiis Patriarchæ, amoris fraterni, adeoque omnis humanitatis oblitis, fateri: *Merito hæc*

patimur,

patimur, quia peccauimus in fratres nostros, videntes angustias animarum illorum, dum deprecarentur nos, & non audiimus, idcirco venit super nos tribulatio. Nunc vobis sine dubio sæpè sæpius occidit conscientia, quod Ruben frustra fratribus: Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, filium Regis vestri, Iohannem, & non audistis me? en sanguis eius exquiritur. Nunc dubio procul agnoscitis culpam, postquam experimini pœnam; sed

Quid iuuat errores, mersâ iam puppe fateri?

Vnum vos rogo, & vos amabo, dicite. Vnde vobis tanta audacia, tanta temeritas, & tyrannis illa plusquam Neroniana, quâ obliterati moniti diuini; *Nolite tangere Christos meos, qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei*, monachos & religiosos, patres vestros tam crudeliter & barbarè perdidistis? patres vestros, dico, qui per Euangelium vos genuerunt. Hoc ipsum mare toties piscatoribus vestris monachos, maximè anno 1545. Helsingoræ, repræsentans innuere vult; nempe quod hi piscatores hominum, vos rete Euangelij olim ceperint, & vndâ salutari tinxerint. Nam *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Nunquid Poppo natione Danus, vir religiosus, & quidem à Romano Pontifice missus, concionibus suis, & insigni stupendoque miraculo, in publicis regni comitiis edito, totum Regnum ab immani idololatriâ, circa annum Christi 990. liberauit? Similiter quoque & circa idem tempus S. Ansgarius Monachus, Vithmarus Monachus, Rembertus Monachus, aliique complures Monachi semente verbi Dei, *Domine cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*

tot & tantis, vt cum Richardo de S. Victore lib. i. de Trin. cap. 2. dicere liceat: *Domine, si error est, à te decepti sumus: ea enim in nobis tantis signis, ac prodigiis confirmata sunt talibus, que non nisi per te fieri possunt; tandem & martyrio, densissimas ignorantie & superstitionum tenebras, vestrosque illos Lares, Lemures, Faunos, Satyros, Larvas, Stryges, Lamias, Manes, & similia monstrorum portenta, à vobis omni vitiorum cœno inuolutis depulerunt, vosque sacro fonte Christo regenerarunt. Isti sunt viri (liceat mihi Daniam compellare, vt suam olim Rumam S. Leo Papa, in natali Apostolorum S. S. Petri & Pauli affatus est) Isti sunt viri, inquam, per quos tibi Euangelium Christi, Dania resplenduit, & que eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt patres tui, verique pastores, qui te regnis cœlestibus inserendam, multò melius multoque feliciter condiderunt, quam Dan, qui antequam Romulus Romæ, tibi nomen dedit, cuius filius Lotherus fraternam te captiuitate, quo solus & tutior ad regni gubernacula federet, fœdauit, isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus olim fueris. Hi monachi & religiosi multa bona opera ostenderunt vobis Dani, propter quod eorum opus illos lapidastis? Generatio praua atque peruersa, hæc in reddis Domino, popule stulte & insipiens? Generatio enim peruasa est & infidetes filij, gens absque consilio & sine prudentia: vtinam non populus, cui iratus est Dominus vsque in æternum. Nam va genti peccatrici, populi graui iniquitate, filiis sceleratis. Hæc intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Sed consolamini, consolamini, etiamnum patres vestri, religiosi viri, quæ in cœlis, quæ in terris pro vobis Deum assidue interpellant, penitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Ipsemet vester Pater Naaman,*

man, quem cum cane sepeliuistis, in caelis est; nam qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit, ibique pro vobis orat: Pater dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt. Et scitote, quoniam mirificauit Dominus sanctum suum, Dominus exaudiet. ad interpositionem eius aliorum, quos iam non dicit seruos, sed amicos, exspectat Dominus, ut misereatur vestri, & exaltabitur parcens vobis. vos interim quaerite Deum, & viuet anima vestra.

Vt reuertar vnde digressus sum. Notandum, quod inter alia crimina, quæ Dani in Apologia sua Regi Christiano Secundo obiecerunt, hæc præcipua fuerint: quòd fidei coniugalis oblitus, amore cuiusdam peregrinæ puellæ illicito irretitus fuerit; bona Ecclesiastica in se transtulerit, cum Deo dicatis (sunt verba ipsorum) Archiepiscopis, Episcopis, Prælati, & aliis Clericis inhumanius egerit, aliquos amouens, nonnullos etiam in carceres coniiciens, & quidem de se & regno benè meritos; bellum quoque absque scitu & consensu Statuum gesserit. Vnde se ab omni homagio & iuramento fidelitatis, quo ipsi obstricti fuerant, absolutos & liberos pronunciant, idque vi iuramenti, quo verbis conceptis (sunt verba Apologiæ) Deo, Sanctisq; testibus citatis, præstito, Archiepiscopis, Episcopis, Dynastis, Prælati, Equitibus, Ciuitatibus, & populo Regni Danici se deuinxit & obligauit, cuius iuramenti inter alia, hæc quoque capita expressa fuerunt. Debemus ante omnia Deum diligere & colere, & Sanctam Ecclesiam defendere & amplificare, omnia Episcoporum, Prælatorum & ministrorum Status Ecclesiastici priuilegia à N.B. Sancta Ecclesia & Regibus Christianis, illis concessa, inuiolata conseruare. Archiepiscopos quoq; Lundensem & Nidrosiensem, & præ.

& præterea Episcopos, Prælatos, Equites auratos, & alios ordinis
 equestris, Regni Proceres & consiliarios conuenienti obseruantia
 & honore, pro cuiusque statu & conditione prosequi. Si qua no-
 bis controuersia sit cum Archiepiscopis, Episcopis, aut Prælati-
 eorumve ministris, in locis conuenientibus, nimirum coram Senatu
 Regni cognosci & transigi oportebit, &c. & quicquid à Senatu
 Regni super ea re decretum & pronunciatum fuerit, id ipsum exe-
 qui, &c. Nullum bellum incipere, aut etiam militem in Regnum
 introducere debemus, communi Senatu Regni non præsciente &
 consentiente, &c. Si uero (quod Deus auertat) contra istos ar-
 ticulos agendo delinqueremus, & Senatorum Regni admonitioni-
 bus nullo modo locum dare institueremus, tum omnes Regni incole
 ratione honoris & iuramenti sui, coniunctis viribus in hoc fideliter
 incumbere debent, ut hoc auertant. Id faciendo, contra sua iura-
 menta, obligationes & homagium, quo adstricti nobis sunt, neuti-
 quam fecisse censerentur.

Vel hic Dani errârunt, vel non. Si errârunt; to-
 to tempore, & à quo fidem Regi suo renunciarunt, periuri
 & rebelles manserunt, ab Imperatore omni iure coercendi.
 Si non, ab omni homagio & iuramento fidelitatis quatuor
 successoribus, vel potius usurpatoribus, præstito, liberi & ab-
 soluti sunt, & consequenter vacat sedes Regia, præsentioque
 Domus Austriacæ integra manet. quia hi omnes iuramen-
 tum regium insigniter violârunt, quod ordine & euidenter
 ostendam.

Fridericus Primus non defendit Ecclesiam, multò mi-
 nus amplificauit, nec priuilegia à S. Ecclesia & Regibus Chri-
 stianis, Statui Ecclesiastico concessa, inuiolata conseruauit,
 qui hæresin palatinam subintroduxit, monasteria non pauca
 ciuibus pro aliis usibus donauit, sanctimonialia non solum
 ruptis

ruptis votorum vinculis, & excusso habitu sacrilegis nuptiis, apostatis monachis, Sacerdotibus, alijsq; junxit, sed prorsus dementavit, deliras, feras, & omnem verecundiam, imò hominem exuere, patrocínio suo & nundinatione claustrorum fecit. Quid quæso magis obscœnum, barbarum, & à fœmineâ verecundiâ, ne dicam Christianâ disciplinâ, bonisque moribus alienum vel excogitari potest, quàm in monasterio *Reinbeck* anno 1530. teste *Helduadero* superius citato, virgines & quidem pudicitiae ante alias, deuotas, absente præposito, lautissimè epulatas & potas, habitum monialem, imò & vestes exuisse, vociferantes impudicissimamque cantionem, quæ etiamnum in *Dania* diligenter cantatur, componentes, instar caprarum syluestrium saltasse, & tandem effractis januis, fenestris & fornacibus, ad hunc *Fridericum* tanquam asylum, immunes ab omni animaduersione superiorum confugisse? Vt alia primi omnium Regum in orbe *Lutherani*, hæretica facinora silentio præteream. Nec est quod objiciant *Dani*, per Sanctam Ecclesiam intelligi, non Romanam, sed *Lutheranam*, cum constet nullam aliam tunc, quàm Romanam priuilegia statui Ecclesiastico in *Dania* indulgisse, vt nec alios Reges Christianos, quàm Catholicæ Romanæ fidei. Taceo, quòd multis annis pòst, de mortuo hoc *Friderico*, Senatus regni publico edicto, *Lutheranos* tanquam hæreticos proscripserit.

Christianus tertius cognomento *Pius* (malim dicere *Impius*) *Friderici* filius & successor, minimè Ecclesiam defendit & amplificauit, nec solùm vnum aut alterum Episcopum, quòd *Christiano Secundo* objecerunt Status, incarcerationauit, neque tantùm insulam *Bornholm*, vt idem *Christia-*

F

nus

mus, Lundensi metropolitana Ecclesiæ ademit, verum omnes ad vnum Archiepiscopos & Episcopos, nullâ habitatione dignitatis, senii vel meritorum (erat inter ipsos vniuersium Regum Daniæ Cancellarius meritissimus) dolo captos, ad crudeles carceres detruxit, idque propriâ libidine non vocatos in jus, causaq; coram Regni Senatu, quod vult iuramentum Regium, transactâ. & quod magis tyrannidem sapit, D. Joachimum Ronnow Episcopum Roschildensem, quod vir constantissimus ne specie quidem, Lutheranæ luto fecis se contaminare voluerit, 8. annorum carceris squalore interemit.

— — *sic rabies in corpora sauit,*
Quando animos vinculis, illaqueare nequit.

Dici non potest, quantam persecutionis procellam immanis hic tyrannus religiosi viri Dei excitaverit. penè omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: pauci verò electi, qui apostatare renuerunt, verè dicere possunt; *Transiimus per ignem & aquam.*

Bona quoq; Ecclesiastica, quibus adeo inhiauit, vt etiam Lutheri sui supplices admonitiones (vtinam sic quoque in aliis) spreuerit, prædam fecit, tanquam propria, & ad fiscum regium pertinentia occupauit, diuendidit, donauit, retinuit, & de iis, tanquam de proprio, disposuit.

Verum quidem est, plurima & eximia bona possidebat Ecclesiasticus Status in Dania, ex munificentia Regum, maximè S. Canuti, qui tanto amore & honore eum prosecutus est, vt non solum Prælatos, haud ignarus ipsos Christi & Apostolorum in terris vices gerere, Statibus Regni annumerari, & inter eos primas habere, consilioq; intimos & auctoritate

ritate primos esse fecerit, sed etiam propter ipsos mortem
 oppetierit, à populo, idololatriâ antiquâ nondum ex toto
 abjuratâ, decimas exposcens; à Pontifice Romano post ca-
 talogo Sanctorum adscriptus, & in Dania multis seculis, ve-
 neratione tanto Martyri debitâ habitus, miraculis, vsque ad
 tempus Lutheri, floruit innumeris.

Nec minore liberalitate frater ejus Ericus Quartus, qui
 etiam Romam pro licentia erigendi Archiepiscopatus in
 Dania iter instituit, Ecclesiam dotauit.

Valdemarus quoque Primus, S. Canuti Ducis filius, in-
 comparabilis benefactor Ecclesiæ fuit. His nihil cessit S. E-
 ricus Rex, magnus cultor S. Wenceslai Bohemi, qui cum à
 fratre, Abele Duce Slesuicense, quem beneuolè visitauerat,
 interneccioni daretur, summoperè quidē gauisus est, se idem
 genus mortis cum Patrono mereri, maximè autem doluit
 amplissimo monasterio in honorem, & jussu S. Wenceslai à
 se incepto, nondum vltimam manum impositam.

Quid dicam de Erico Sexto, qui ad eò Ecclesiasti-
 co statui fauit, vt etiam Regnum cum monasterio com-
 mutârit?

Similiter & alii pii Reges Ecclesias donariis libera-
 lissimè illust:ârunt & locupletârunt, aris & ædibus sacris sti-
 pendia amplissima prouiderunt, inter quos Christianus
 Primus & filius ejus Johannes, Christiani Tertii patruus,
 qui tria amplissima monasteria extruxit, non vltimam me-
 rentur laudem.

Sed & multas Ecclesias pius populus fundauit, cele-
 berrimam illam Abbatiam Soer, propriis & hæreditariis
 bonis, magnus ille Archiepiscopus Absolon, de patriâ suâ
 meritissimus, & frater ejus; monasterium Paracleti S. Wl-
 helmus

helmus Abbas in Dania, & alia alii. Tanta quoque feruor erat deuoti fœminei sexus, vt ad conciones Popponis, armillas, catenas, in aures, cingula, & huiusmodi ornamenta muliebria, structuris & vsui Ecclesiarum, nec non sustentationi Ecclesiasticorum applicuerit.

Omnia hæc vnde cunq̃ tandem, & quocunq̃ sine Deo & Ecclesiæ donata bona, nec non calices, monstrantias, reliquiaria, vasa aurea & argentea, totamq̃ suppellectilem Ecclesiasticam tot seculis piè congestam, hic curculio, non aliunde Christianus pius, quàm ex paradoxo sui Lutheri, tom. 2. de ministris Ecclesiæ, & tom. 4 fol. 319. *Quantò es improbius, tantò es Deo propinquior*; non Christianus, sed impius, vnico momento deuorauit, religionem veterem, quæ quingentis & vltra, annis in Dania floruit, antiquauit, & repagula omnis juris, pietatis, æquitatis, pudoris & officii insigniter perfregit tyrannus meritò comparandus, si non anteferendus Decio, qui thesauro Ecclesiæ allectus, S. Laurentium carceris & mortis poenâ multauit: ita enim quoq̃ hic omnibus Episcopis suis, inter quos ædis S. Laurentii Lundensis Antistes primas habuit, carceribus mancipatis, Roschildense verò occiso, Ecclesiam depeculatus est, & velut *singularis feras depastus est eam.*

Fridericus Secundus, huius filius & successor, magnâ quidem inclinatione erga auitam religionem propendebat, librum Concordiæ, cui Electores, Principes, Ciuitates Imperii, aliiq̃ acatholici subscripserant, sibi ab ipsorum Legatis reuerenter oblatum, camino adstans cum indignatione in ignem projiciebat; Patris Laurentij Noruegi, Soc. Jesu libellum de controuersis fidei, Professoribus Vniuersitatis

ratis Hafniensis dedicatum, contra quem otiosi ventres, nec
 hiscere ausi sunt, continuè apud se habebat: sed non minus
 quàm Johannes ejusdem temporis Rex Sueciæ, Sigismundi
 Tertij Poloniæ Regis parens, qui quoque non alienus à fide
 Catholica fuit (is enim Patres Societatis admisit, & in tota
 Suecia blasphemam cantationem Lutheranam, *Erhalt vns
 Hertz bey deinem Wort* abrogavit, prædicantesque suos ce-
 lebrare missas fecit) bonis Ecclesiasticis inescatus, missam,
 hæresin non fecit; quin potiùs reliquiis clerum exuit. Tam
pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus, sæpè,
 proh dolor, Catholicis.

Christianus Quartus modernus, Friderici Secundi fi-
 lius & successor, præter Conjugem, non solùm vnam puel-
 lam (quod in Christiano Secundo, hæresi quidem sensim ir-
 repente, sed adhuc Catholicæ religionis disciplinâ in Dania
 superstite, animaduertent Status) illicitè amaui, sed in fini-
 tas etiam vitiauit,

———— *eruca salax, indexq; libidinis hircus.*

Sic

*Insanire facit sanos quoq; copia vini,
 In solo, quando viuendi causa, palato est.*

Videte ô Dani, malos fructus malæ arboris; hæresis,
 quæ apud vos jam inualuit, ab omni disciplina Christiana
 alienos vos fecit, festucam olim in oculo Christiani Secun-
 di vidistis nunc trabem in Christiano Quarto non palpatis.
 Cæci & cæcorum duces estis, Ministri ex tribu Leui, qui ad
 impij Regis vestri impuram vitam, canes muti filetis. an ne-
 scitis, quòd

Stultorum incurata, pudor malus ulcera celet?

Olim Suenonem Secundum, ob similia flagitia carnis, ubi paternas & assiduas admonitiones irritas videbant, excommunicabant Episcopi Daniæ, & quia Roschildensem Basilicam polluerat, ab ingressu ejusdem, Episcopus Wilhelmus, vir grauis, tam in vita, quam post mortem (vt loquuntur annales Ecclesiæ Roschildensis) Pontificalibus indutus, oppositu baculi pastoralis arcebat, & ubi manus capulis admo-
uerunt regii, ceruicem porrexit. *Genimina viperarum & glossogastores, quot parasangis distat carnale vestrum Euangelium, quo perpetuò pax, pax, cum non esset pax, clamantes, aures auditorum mellifluis consolationibus demulcetis, vel potius obtunditis, ab antiquo sancto feruore Sacerdotum Daniæ. A fructibus eorum cognoscetis eos. O insensati Dani, quis vos fascinavit, non obedire veritati? Sic stultiescitis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Miror, quod sic tam citò transferimini in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. Nisi resipueritis, ex Lutheranis Calvinistæ, hinc Ariani, inde Mahometani, & tandem athei eritis, juxta foriten, quem atheus quidam Lutetiæ publicè exustus confecit. Sed quid dico eritis? jam prorsus nullam religionem colitis, non Augustanam Confessionem, sed meram confusionem; apud vos enim, quod nusquam præterea vidi, nullus alterius arbitrio stat in causa fidei, singuli Prædicantes sibi sapiunt, somnia sua, figmenta, & lethale mulsim, pro verbo Dei, vendicantes,*

*Abunt de
virtute in
virtutem.*

Et vitis hominum crudelia fabula præbent.

Hujus-

Hujusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo
 ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda
 innocentium. Rogo autem vos fratres, ut obseruetis eos, qui
 dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didici-
 stis, faciunt, & declinate ab illis. Si quis vobis euangelizauerit,
 præter id, quod accepistis, anathema sit. Certè aliam do-
 ctrinam, quàm Romanam Catholicam, vulgò Papisticam,
 (quod ingenuè fatetur Theologus vestri Regis Helduade-
 rus, in libro superius citato, & ideò eam nec damnare au-
 dent, nec à quopiam damnatam vult, quin potius multis no-
 minibus, plurimis in locis extollit, sanctamque prædicat,
 quod quoque ipsemet Lutherus passim fecit, adeò vt trium-
 phantes dicere possimus: *Salutem ex inimicis nostris*) quan-
 do paganismo & idolomaniâ abjuratâ, Christo nomen de-
 distis, didicistis, nec aliud vel aliter accepistis, quàm Roma-
 nus Pontifex, vniversalis Pastor Ecclesiæ & Vicarius Christi
 in terris, cui *clauēs Regni cælorum* concreditæ, & oues pa-
 scendæ commissæ sunt, vobis per suos euangelizauit. *Cum*
autem dormirent homines, venit inimicus eius, & supersemina-
uit Zizania in medio tritici. Ita ex ipso ordine (dixit circa
 annum Christi 200. Tertullian. de præscript. aduersus hære-
 ses, cap. 31. & 32.) manifestatur, id esse Dominicum & verum,
 quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod
 sit posterius immissum. Ea sententia manebit aduersus poste-
 riores quasque hæses quibus nulla constantia de conscientia
 competit, ad defendendam sibi veritatem. Caterùm si que au-
 dent inserere se etati Apostolica, vt ideò videantur ab Apostolis
 tradita, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: Edant
 origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum
 suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille
 Epi-

Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesia Apostolica census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Policarpum ab Iohanne collocatum refert sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utiq; & cetera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Constringant tale aliquid heretici. Attendite itaque, ô Dani. Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, qua sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris.

Sed ad propositum nostrum redeo. Hic Christianus bona nulla Ecclesiæ ademit in Regnis & Prouinciis suis, sed causa fuit, quòd auus eum præuenerit, omnia, vt dictum est, diripiens, quæ diuina Iustitia modò ab hoc, nempe *de manu contra legem agentis & iniqui repetit. Quia non repellet DOMINVS plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet. Et Episcopatum ejus accipiet alter Verdensem.*

*De malè
quisit
nò gaudet
tertius
heres.*

Ecclesiasticos vel Catholicos quoque nullos in regnis suis persecutus est, quia nullus inuentus est, & vt nullus inueniretur, anno 1604. publicum edictum impietati antecessorum addidit, quo cavit, ne vllus ex regnicolarum filiis ad Patres Societatis studiorum gratiâ se conferat, ne fortè vnâ cum literis antiquam fidem imbibat. Et quoniam in regnis & Prouinciis suis nullos habuit Catholicos, in quos tyrannidem innatam exerere posset, eos extra Regnum, quod in prima ratione dictum est, magnâ industriâ quæsiuit: ne tamen omninò in Regno quieuisse, & contra exemplum totius lineæ regiæ subreptitiæ, Ecclesiasticos penitus intu-

inturbatos reliquisse censeretur, defectū veri, suppleuit ficto clero. In coronatione sua, anno 1596. solemnem processionem clericorum & religiosorum, quotquot excogitari poterant instituit; hi variis cucullis (sed absq; cilicio) laruati, bini *Processio in Dania.* & bini longâ serie incedebant; quidam pluuiali & stolâ indutus, aquâ lustrali populum asperfit; alij cantabant, sed non litanias aut horas Canonicas, regula enim ipsorum, horæque diurnæ ac nocturnæ erant,

*Ludere, bacchari, grauidis incumbere mensis,
Ridere, & carni semper amica sequi.*

Ipsemet pontificalibus indutus, tiara triplici redimitus, cruce manuum ac pedum insignitus, per plateas præcipuas Hafniae deportatus, erectis digitis instar simiæ verum hominem imitantis, benedictionem dedit, indulgentiasque ridiculas promulgauit. Undique penes hunc Antipapam equitabant Magnates, vestiti ornamentis Cardinalium & Prælatorum. Eodem modo postea in hastiludiis equo, cui asininæ aures assutæ erant, insidens comparuit, benedictionem impertiens.

Quod diuina omnipotentia huncce benedicientem Antipapam (qui noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, & induit maledictionem sicut vestimentum) non cœlesti fulgure occiderit, vt olim Antipapam in publicâ plateâ Anconæ solemniter portatum, eius longanimitas est, manus eius haudquaquam effugiet? nam rarò antecedentem scelestum deseruit pede penè claudo. Sensit post 30. annos, non nihil manus Omnipotentis Dei, iuxta arcem LUTHER, anno 1626. NB. die 27. Augusti in ipsa vigiliâ S. Augustini, cuius sanctissimæ

G

regulæ

50

regulæ & monasticæ disciplinæ, mundo derelicto, tonitru
monitus Martinus Luther se deuouerat, inque ea non paucis
annis religiosus Augustinianus perseuerauerat, post apostata
factus, & Apostolus à multis & stultis habitus.

Hic obiter notandum, quod dies iste auspiciatissimus
sit Austriacis, non solum ob hanc gloriosissimam de Dano,
sed & celebrem illam victoriam, quam eodem die, anno
1278. Rudolphus Primus de Ottogaro reportauit; electio-
nem Ferdinandi Secundi gloriosissimi, postridie eiusdem
anno 1619. feliciter conclusam, & alia. Quid vero idem dies
Caluinistici fati prædestinauerit Friderico eiecto Regi Bo-
hemix, cuius præter legem, in Regem electio, eodem pror-
sus die completa fuerat, qui quoque secundum nonnullos,
eodem, secundum aliquos, pridie anno 1596. (quo nimirum
Rex Danix antipapalem benedictionem & indulgentias de-
dit) natus fuit, & ipsissimo anni 1614. gubernacula Ele-
ctoratus suscepit: *Filij qui nascentur & exurgent, narrabunt fi-
liis suis.*

Nec minus expendes gens Danica, quæ in te eiusdem
diei anniuersariis temporibus gesta sunt, *narrabis ea filiis tuis,
& meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dor-
miens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua,
eruntque & mouebuntur inter oculos tuos scribesque ea in limine &
ostii domus tua.* Hic enim dies, quo Rex tuus Christianus
Quartus incomparabilem cladem, iuxta castrum Luther
passus, non modò militum suorum florem, sed & honorem
nomenque perdidit, anniuersarium tempus erat coronatio-
nis processionis, & pontificatus eius, ubi innumeros propè
pseudo Cardinales, Episcopos & Prælatos tibi creauit. Fuit
quoque hic dies anniuersarium tempus primæ ordinationis
seu

seu introductionis septem Superintendentium seu Episcoporum Lutheranorum, in locum Archiepiscopi, Episcoporum & Prælatorum tuorum, anno 1537. à Christiano Tertio per Iohannem Bugenhagen Legatum Lutheri, solemniter in summo templo Hafniæ, peractæ.

Quòd verò hæc ordinatio Christiani Tertij, cum illa Christiani Quarti, eiusdem fuerit momenti, eandemque authoritatem & potestatem habuerint, huius & illius ordinati & creati Prælati, & utrobique mera res ludicra exhibitæ sit, perspicuè colligere licet ex benedictione, quæ utrobique data est. De benedictione Christiani Quarti non est, quod multum glorieris, ô Dania, in solis hastiludiis vim suam habebat, & vna cum illis expirabat, maledictionem relinquens, quam nunc experiris. Legatus verò Lutheri ex Regno discedens, tibi planè Lutheranam benedictionem reliquit his verbis: *Retineas Dania meam fidem, & ego tuam pecuniam.* Apud DEVM autem, utramque Lutheranam benedictionem & ordinationem, abominationem fuisse, ipsemet testatus est miraculosâ victoriâ, iuxta Luther, anniversario utriusque tempore. Hoc sine magno mysterio factum, quis dixerit? Locus & tempus vos moneant Lutherani, cum Pontifice vestro Lutherano, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Sed ad rem. Itane Ecclesiasticum Statum præcipit iuramentum Regium honorare? *Non sic impij, non sic.* Certè S. Canutus, S. Ericus, quos etiam Sanctos vos appellatis, Christianus quoque Primus, eius filius Iohannes & alij complures pij Reges Daniæ clerum ludibrio & risui non exposuerunt, sed in magno honore habuerunt. Dicetis iuramentum hoc de honorandis Prælati & Clero, iam pridem

Cogitauerunt consilia, quae non potuerunt stabilire. dem explosum. Sub Christiano enim Tertio, in publicis Comitibus regni, ab Ordinibus & statibus vnanimitè concludum, statutum & sancitum fuit, vt Episcopi & Prælati in æternum non sint Consiliarij Regni, imò nec ibi tolerandi. Sed quâ auctoritate? vestrà impietate, eadem nempe, quâ Religionem & Regem excussistis. O Dania, *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas. interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi verba Prophetæ: Restituam Iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus.*

Arctius vos constringam Dani. Bellum, quod contra Cæsarem & Imperium, Christianus vester Quartus gerit, & primogenitus eius, Christianus vester Quintus continuandum promisit, reliquique filij hætenus omnibus viribus promouerunt, vel vobis insciis & inuitis, vel scientibus & consentientibus fit. Si prius: iam vestro iudicio & exemplo (hoc enim in iuramento Regio mutatum non est) ab omni homagio & iuramento fidelitatis absoluti & liberi estis, Regniq̄ue vacantis prætentio iustissima Sac: Domui Austriacæ. Si posterius: vos quoque hostes Imperatoris & Imperij estis, & debellandi; quod nollem, sed vt priore modo salutis & rebus vestris consulatis opto. Credibile fanè est, vos non consensisse, ipsum omninò vos præterisse, indignissimè enim vos semper habuit, etiam Magnates non ratò verberibus excipiens, priuilegia, quæ Fridericus Primus coronæ vsurpator, vobis ob rebellionem largiter impertiuit, hic insigniter labefactauit, ad absolutum enim imperium semper aspirauit, imò hoc milite, Cæsare debellato, vobis iugum & excidium minitatus est. Et quomodo vos
viri

viri gravitate, prudentiâ & experienciâ rerum gerendarum ante alios conspicui, bellum quod nulli, nisi in experto, dulce, cuius incerta spes, certa perniciës, non dissuasissetis, cum inde lucri nihil, damni autem plurimum in vos redundare præsciivistis? Ecquis dubitare potest vobis Senatoribus regi sapientissimis, Sapienciæ verba firmiter in sculpta hæsisse? *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. malignitas evertet sedes potentium.* Hæc sæpius legistis, nunc, proh dolor, damno vestro & iactura, sed solummodò bonorum corporis & fortunæ, didicistis. Ecce vester Christianus,

Cuncta cui aduerso ceciderunt prælia Marte;

cuique à Propheta dictum putetis: *Viri fæderis tui illuserunt tibi) alienis impia spe inhiauit, nunc suis excidit.*

Accersit sic ipse sibi crudelia fata.

Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine diuitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua, nunc conscientiam iudicem audit: Propterea Deus destruet te, euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo & radicem tuam. Ecce prædator iuxta veritatem Prophetiæ, factus est præda, & tyranno, qui alios dolosè oppressit, iniuste prostravit, iusto DEI iudicio ulterius

stare negatum est.

Nam *virum sanguinum & dolosum abominabitur D O M I N U S.*

Vos itaque Generosi ac Illustres Heroës, Patres Patriæ, quandoquidem satis superque videtis, imò palpatis, non solum quòd *mutatio hæc dextera excelsi* (nam testante sacra pagina, *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos*) verum etiam quis reprobaro Sau'e vestro, verus sit vnctus Dei, qui in veritate dicere possit: *Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis, & ab insurgentibus in me exaltabis me, & à viro iniquo eripies me. Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Et de quo vicissim Deus: *Inueni David seruum meum, oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum, nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. & concidam à facie ipsius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam, & veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Ipse inuocabit me, Pater meus est tu, D E V S meus, & susceptor salutis meæ, & ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terra.* Proinde occasionem hanc optatissimam arripite, iugum excutite, tyrannum & Patriæ oppressorem, pacis turbatorem, libertatis, privilegiorum, adeoq; omnis æquitatis euersorem, hostem Dei & omnis virtutis, epicurum & impium, vna cum filiis per omnia patrizantibus excludite, vel potius turri includite. *Ex pessimo genere nec relinquendus catulus.* Nolite inani spe

ex-

externarum virium decipi, & in vos extrema periculorum,
minasque ruinas fortunarum vestrarum deriuare. O misera
vitæ ratio,

——— *alieno incumbere fulcro.*

Ad clementiam victoris, cuius est

——— *leges imponere victis,*

supplices confugite, nouisque obsequiis veterem culpam
abolete.

Sola potest victis, pax reddita ferre salutem.

Sacrae Cæsareæ Maiestati, FERDINANDO SECVNDO Glo-
riofissimo (cuius clementiam, mansuetudinem, pietatem,
vitæ integritatem, virtutesque raras & planè imperatorias,
omnes, præter talpas hæreticas, suspiciunt, adeò vt ipsum
delicias mundi vocare non dubitent; vt enim in specula
omnis Maiestatis à Deo collocatus est, sic quoque speculum
omnium virtutum est) tanti que parentis filiis, qui nec à pa-
ternis moribus degenerant, nam

Fortibus atque bonis, fortesq; boniq; creantur,

Nec celeres Aquila imbellem genuere columbam,

Atrum nec coruum procreat albus olor.

His, inquam, vos Regnumque eis omni iure debitum tra-
dite, ratioque sit vobis in promptu: *Quoniam qui malignan-
tur, exterminabuntur, sustinentes autem Dominum, ipsi heredi-
tabunt terram. Reddite ergò que sunt Cæsaris Cæsari, & que sunt
Dei Deo. Idque vestri ineffabili bono; Ipse enim est Aquila
prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expan-
dit alas suas, sub quibus sedebitis securi in pulchritudine pa-
cis, & in tabernaculis fiducia. Nam oriatur in diebus eius*
insti.

iustitia & abundantia pacis, & dominabitur à mari usque ad mare.

Ne dubitate, pro Saule Dauidem, & loco tyranni habebitis Patrem, qui optimè nouit

Parcere subiectis & debellare superbos.



Ad septimam.

Populum tuum Domine humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Labia nostra à nobis sunt, qui noster Dominus est?

Victa iacet pietas, & cedit viribus equum,

Non metuunt leges, stat pro ratione voluntas.

Vtique est Deus iudicans eos in terra. Tam inauditam rebellionem, diram captiuitatem Regis & Episcoporum, immanem persecutionem Sacerdotum, impiam subsannationem Cleri, crudelem dissipationem sacrorum, sacrilegam deprædationem bonorum Ecclesiæ, nefandam abrogationem omnis cultus diuini, barbaram exclusionem tantæ Reginae, iniquam exhæreditationem Regij filij innocentissimi, denique omnimodam euerisionem omnis pietatis & æquitatis, tenetur Imperator, summus in terris iustitiæ minister & Ad-uocatus Ecclesiæ, imò supremum caput Christianitatis punire, bonaque à Sanctis Regibus & pio populo, pro refrigerio animarum suarum, Deo dicata, è sacrilegis & impiis manibus

nibus vindicare, nec tam enormia flagitia in Deum, Sanctos, Ecclesiam, Domum Austriacam, Regem, Reginam, Regiam Archiducalemque prolem, & omnes bonos, in orbe Christiano, nedum in Regno cuius æquissimam prætensionem habet, tolerare. *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Quòd hætenùs nullus Imperatorum talia scelera puniuerit, causa fuerunt alii, vt dictum est, motus, quibus distracti fuerunt. *Quod differtur, non aufertur.* FERDINANDO SECUNDO potentissimo, piissimo, hoc à Deo reseruatum est: *ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos facta est salus in Israel.* Nunc exurgam, dicit Dominus, ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.

Nunc, Deo inuitante, imitandi fortissimi zelatores auitæ religionis & paternarum legum, Machabæi, qui dixerunt unusquisque ad proximum suum: *Erigamus dejectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro & sanctis nostris. Quid faciemus istis, & quò eos ducemus? Sancta tua conculcata & contaminata sunt, & Sacerdotes tui facti sunt in luctum & in humilitatem. & ecce nationes conuenerunt aduersum nos, vt disperdant. Tu scis quæ cogitant in nos. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adiuues nos? Accingimini, & estote filii potentis, & parati vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt aduersus nos, disperdere nos & sancta nostra. Æmulatores legis estote, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.*

H

Ad

Ad Octauam,

Fortè timendi Gustauus Sueciæ, Rex Angliæ, & Hollandi, qui hîc extrema tentabunt, cœlum & terram miscebunt, imò & acheronta mouebunt? vtnimis clarum est ex symbolo vexilli Mansfeldiani:

*Doet Gott / doet Christ kein Vorschub /
Hely Jud / hely Türck / hely Belzebub.*

Hi, quæ Dei gratia est, eò, & quidem per seiplos, redacti sunt angustiarum, vt plus timeant quàm timeantur. Nunquid occupationem Palatinatus, eliminationem fratrum ex Austria & Bohemia æquis animis tulerunt? nullum sanè non lapidem mouerunt. ab ipsis nihil hætenùs inausum vel intentatum; *sed non est consilium aduersus Dominum. qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Certè plus timebunt, si tam potentis Regis, & florentis Regni adminiculis & suppetiis, quibus hætenùs clàm & palàm suffulti, non solùm recuperationem Palatinatus, verùm etiam euersionem Domus Austriacæ sperabant, destituentur. *paueant illi, non paueam ego.*

Timeat Suecus, Polonis transitum per Daniam hætenus denegatum concessum iri. Et hic Gustauus qui non minus impio hætenus ore gustauit panem Christi nec coronæ Sueciæ iniquissimâ vsurpatione contentus, alias quoque ditiones Regis Poloniæ inuadit, haud impunè euadet, gustaturus aliquando panem doloris.

Insequitur certè, vindicis ira Dei.

Non

Non vidi justum derelictum,

— — *tandem bona causa triumphat.*

Timeat item Anglus (qui tragædus domi de se quoque
cantat:

Et mea cymba semel variâ percussa procellâ)

jam penitus actum, tam de sororio

— — *(solum qui vertere jussus,
Excruciat mentem curis, lachrymis gemituque;
Nam miser ad Batavas, esurit exul aquas)*

*quàm de sorore fœcundissimâ simul & facundissimâ, cui
tandem (maximè quando morosus maritus obgannit illud
Petrarchæ; In questo stato son Donna per voi)*

Difficile est tristi, fingere mente jocum.

nec non de nepotibus,

*Qui viles pulli, nati infelicibus ovis,
Cogentur sortem discere degenerem.*

Timeant deinde Hollandi, nec clauso porthmo Danico,
eos ad subjectionem & obedientiam vel sola fames com-
pellat. Hi paulò post ex occultis, manifesti fient hostes
Imperatoris & Imperii, omninò debellandi. Sic occulto
Dei judicio,

Der ge-
sperzte
Denische
Sundt/
sperzt den
Hollân-
dern den
Mundt.

— *In foueam, quam posuère, cadunt,
& in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eo-
rum.*

— — *quod optanti promittere nemo
Auderet, voluenda dies en obtulit ultro.*

H 2

Ad

Ad extremum, timendum ipsis erit, ne tandem, secundum præsentionem Comitis Mauriti j morituri,

Æquorei, si Rex, alitis instar erit,

Daniæ, ipsi de hosp' tio jam in xenodochio regio Hagenfi assignato, & (quoniam olim non solùm dicere ei licuit: Sum in Dania Rex, verùm etiam summus Pontifex) de titulo mensæ, donec vacet aliquod beneficium Ecclesiasticum, prouidere cogantur, eadem caluinisticâ fraternâ caritate & liberalitate, quâ Hyberno Regi & Hyberniæ Reginae propè totum Episcopatum Ultrajectensem, vi juris Patronatus, quod mercatores & opifices pro Regibus habent, gratiosè, conferre dignati sunt. Hoc enim modo valdè quoque timendum, ne si plures reges exemplo horum, abjecto diademate, Episcopatum *bonum opus* desiderent, idque in Hollandia, vel ex prædestinatione, vel certè propter decimas caesorum, ipsimet Hollandi tandem,

— — *quod benè vertat,*

panis inopiâ sint laboraturi. Cæsari autem & suis solus timendus est Deus, *propter quem* (liceat mihi de ipsis, quod S. Chrysostronus de Machabæis, dicere) *bellum gerunt, pro cuius gloria decertant, cuius causa hic agitur, imò ab ipso met Deo) ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi sua, benedictus Deus.* Pergite alacriter in nomine Domini exercituum fortissimi Machabæi. *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*



Atque hæ sunt octo rationes, quare, saluo tamen iudicio
melius

melius sentientium, necessariò Rex Daniæ Christianus
 Quartus, vnâ cum filiis priuari debeat, vt tandem sit firma,
 perpetua & sancta ex bello pax, quæ

— — *summa laborum,*
Ex belli exacti pretium est pretiumq; pericli.



Gloria in excelsis DEO, & in terra
 pax hominibus bonæ
 voluntatis,





CONSOLATIO

A D

CHRISTIANVM IV. REGEM
Daniae & Noruegiae, &c.

Demittere oculos, figere obstipum caput,
 Cohibere vocem, ducere ex alto graues
 Anhelitus, nec Cerere nec Baccho frui,
 Nec sole, sed Plutone cum solo diem
 Noctemque somni, & lucis expertem diu
 Tradere. haud Tyranni, haud Regis, haud est Militis.
 Rectius inertem pellicem hic luctus decet.
 Te stirpe tantâ, Regibus tantis satum,
 Tam gloriosas spargere assuetum minas,
 Qui polliceri largiter, qui largius
 Sperare quiduis, quidlibet magnum aggredi
 Olim solebas, non decet frangi malis :
 Sed invidentis damna fortunæ pati
 Constante, & quâ fronte Cæsareum decus,
 Regnumque Romæ (quamlibet Romæ à sacris
 Alienus) hilari sponte rapuisses manu,
 Hâc ferro cladem. Fata sic poscunt tua.
 Quin vera dico, facta sic poscunt tuâ
 Tute hoc parasti solus exitium tibi.
 Solatii instar esse perituris solet,
 Meruisse mortem. Accepta namque vni tibi.
 Quæ damna Dana pertulit tellus, refert.
 Bohemiæne Regis (Hyberni ut vocant)

Miseriæ

Miseriæ misertus, eiectum, exulem,
 Regno parabas reddere, & Rheno simul?
 An, quod verebor credere, at multi putant,
 Tibi militabas? Scilicet quondam hoc tui
 Lutheri ad aram voueras, primum è grege
 Martiniano velle te Augustum eligi:
 Vt factio Augustana, te Augusto, foret
 Augustior. Sed vota fudisti ad notos
 Disjecit istas ventus Austrialis preces,
 Cæsus fuisti, dum Cæsar fieri cupis.

— — tandem sua pœna nocentem
 Consequitur, passusq; sapit tùm deniq;
 Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,
 Hoc opus, hic labor est.







Ms. 1138.

8

ULB Halle

002 272 954

3



f


TA → OL


neu 1 + 9 Stück redempt.

Retro ✓

W.D.M.C.







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

C V M
V M
I Æ,

es,
IESTATI
O QVARTO
SVE FILIIS,
FERIENDA.

VRA, ILLV-
TIÆ DVCI
ntur.

um facit, quam pax illa,

eterior.

E.
alutis,

& IVtIa,sVperantVr. 1627

orum.

